

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
TRIBUS GRADIBUS PERSVASIONIS
(DES FÜRWAHRHALTENS):
CREDERE: OPINARI: SCIRE.

QUAM
CONS. AMPL. FAC. PHILOS. REG. AC. ABOËNS.
Publico proponit examini
Mag. GABR. ISR. HARTMAN,
Bibliothecarius ad Reg. Acad. Aboëns.
RESPONDENTE
GUSTAVO FREDERICO FROSTERO,
Ostrobothniensi.
In Aud. Physico die XIII Apr. MDCCCVIII.
H. a. m. c.

ABOAE, Typis FRENCKELLIANIS.

-i-

[tyhjä sivu/tom sida/empty page]

-ii-

Vera illa dicitur Cognitio, quae sic rei cognitae respondet, ut omnia, quae cognitio de re exhibeat, in re ipsa sint & contineantur. Veritas enim in hac, Cognitionis cum re cognita sive cognoscenda, convenientia, consistit (*). – Cognitio est intra limites mentis; Res, quas

*) Hac ratione Philosophi nostri temporis definiunt illam Veritatem, quam appellant *materialem* sive *objectivam*, ut distinguatur a veritate *formali* sive *logica*, quae in convenientia cogitatorum cum legibus logicis consistere debet. Olim Definitio Veritatis logicae fuit eadem ac hodie veritatis illius materialis: ut apud WOLFIIUM: "Est itaque veritas, inquit, consensus iudicii nostri cum objecto, seu re repraesentata. Dicitur autem haec veritas logica, cum in Logica hic sit vocis significatus". (*Vide Ejusd. Logicae §. 505.*) – Temere enim arbitrati sunt, Veritatem materialem in hac formali contineri, & cognitionem formaliter veram, semper quoque esse veram materialiter: quasi non essent multa revera falsa, quamquam methodo logica demonstrata. Veritas illa objectiva non est nisi una semper & eadem; Systemata vero a Philosophis excogitata, multa & diversa fuere: itaque eorum pleraque falsa, quoad de materia agatur, quamquam ad normam artis logicae omnia fere diligenter effecta essent. Quam, inter Veritatem materialem & formalem, differentiam probe teneat Lector: & est observandum, Veritatem, nullo epitheto adjecto, apud nos, ut & inter homines vulgo, semper significare materialem illam, quae sola est veritas vera.

-1-

nobis repraesentet cognitio, extra Mentem, vel saltem extra cognitionem istarum rerum, sunt: quare etiam cognitio rei aut consentire cum re, aut ab re dissentire potest. Si

convenit, vera: sin minus, falsa dicitur cognitio. Omne vero omnis cognitionis pretium in veritate ejus positum esse, quis non videt? Nam si res in se non sunt tales, quales in cognitione nostra nobis exhibentur; decipimur specie falsa, & sicut in mari alto & immenso errantes, terram patriam, quam in nebulis obvenientibus conspicerere interdum credamus, frustra nos petivisse, nebulis rursus evanescentibus, anxii animadvertimus, sic etiam errorem nostrum, saltem in gravioribus rebus, tandem infelices agnoscemus.

Qua in re tamen probe est observandum, Veritatem non postulare, ut habeat cognitio rei cujusdam omnia ea, quae in re ipsa sint; sed ut res in se habeat ea, quae cognitio de ista re exhibeat. Nam multa in re esse possunt, quae non cognoscimus, nec forte a nobis cognosci possunt, & tamen cognitio nostra vera est, si res ea habet, quae esse in re, rei istius cognitio nobis repraesentat. Consensus enim Cognitionis cum re cognoscenda, non Rei cum cognitione, efficit Veritatem illam, de qua agimus. Hinc sequitur, cognitionem tenuem & paucissimis constantem, veram esse posse, cum e contrario cognitio cujusdam ampla & diffusa omni fere veritate carere possit.

Sed cum Veritas in ejusmodi convenientia versatur, potest etiam inesse in cognitione, quamvis ipsam mens non agnoscat. Cognitio nempe non est vera, quatenus nos illam pro vera habeamus, sed quatenus in se vera sit. E contrario saepissime quoque arbitramur, cognitionem nostram esse veram, quamquam in se sit falsa. Cum autem id, quod de veritate cognitionis habeat mens, Persvasio (*das Fürwahrhalten*) appelletur; perspicuum

-2-

quoque & manifestum est, veritatem non a persuasionem, nec persuasionem nostram a veritate pendere, etsi illa semper veritatem cognitionis spectet.

Aliud igitur omnino est, veram habere cognitionem, & aliud, cognitionem pro vera habere: utrumque enim, sine altero, locum in mente nostra invenire potest. Et cum veritate frui non possumus, nisi sub ea conditione [condicione], ut verum pro vero, et falsum pro falso habeamus; maxime nos operam dare oportet, ut verum a falso recte discernamus.

Quod vero, ut fieri possit, necesse est, sit aliquid, quod efficiat, ut ejus ope veritas, in cognitione aut cognitionis parte quadam, agnoscat. In vera cognitione igitur, adesse debet nota quaedam seu character, quo praesente & absente, veritatem & falsitatem dignoscere queat veri cupidus: cujusmodi nota sive character, *Criterion veritatis* appellatur. Quod, cum tot & tam variae sunt res cognitae & cognoscendae, non simplex tantum & unum in quocunque casu esse potest, sed diversum, pro diversitate rerum occurrentium, & viarum, quibus ad cognitionem rei pervenimus. Attamen in formam regulae generalis redigere possumus ea, ex quibus, in casu quocunque dato, criterium illud petendum sit, & ad quae animadvertendum, si veritatem justa pendere lance velimus. Nam ut Regula sive Norma generalis, qua omne verum in Conclusionibus judicetur, haec fere sit: ut scil. [scilicet] non sit plus aut aliud in conclusione, quam in praemissis sit determinatum; aut si mavis haec: Quatenus duo (Subjectum & Praedicatum conclusionis) in uno tertio [Termino medio Syllogismi] consentiant, eatenus etiam illa

inter se consentiunt (eatenus Praedicatum competit Subjecto in conclusione); aut denique hoc modo: Quatenus Terminus major (Praedicatum conclusionis) continet Terminus

-3-

medium, & quatenus hoc ipsum Termini medii continet Terminus minorem (Subjectum conclusionis), eatenus etiam continet Terminus major Terminus minorem (h. e. eatenus Praedicatum competit Subjecto in conclusione): ita etiam summo jure universaliter dici potest, Ea solummodo Rei cuidam certe competere, quae ex ipsa illa re desum<<p>>ta sunt, aut desumi posse distincte videmus (*). Nam si de re quadam id statuitur, quod in re ista non reperitur, certe eidem non est confidendum: nec ab una re ad alteram valet conclusio, nisi haec in illa ita est contenta & determinata, ut totum earum nexum perspiciat mens nostra.

Mirum igitur omnino est, quod Philosophi Notas veritatis objectivae in subjectivas & objectivas dividerunt: quarum notarum hae ex rebus cognoscendis (ex objectis) colligantur; illae vero ex proprio (subjectivo) profluant fonte. Hoc enim, ut mihi quidem videtur, temere & frustra fecere. Nam si quid pretii est in meo iudicio, nullae omnino sunt causae subjectivae, quas ob causas cognitionem pro vera habere possimus, si alias earum caussarum conscii simus: quod quisque, attentiori [attentiore] animo ea, quae afferre conabor, considerans, facile mihi concedet, nisi omnia me fallunt.

--

*) Apud Wolfium criterium veritatis logicae est *determinabilitas praedicti per notionem subjecti*: (vid. Log. §. 524). Sic etiam criterium veritatis objectivae dici potest esse Determinabilitatem praedicatorum, quae Objecto cuidam competant, per ipsam ejusdem Objecti distinctam perceptionem.

-4-

Tres sunt omnino Gradus Persvasionis (*des Fürwahrhaltens*): credere {(})*Glauben*), opinari (*Meinen* s. *Vermuthen*), scire (*Wissen*) *)

Scimus rem, cum illam ita perceptam & perspectam habemus, ut omnia, quae de ista re cognoscamus, in ipsa re conspexerimus & rep<<p>>ererimus, aut conspiciamus & reperiamus, atque ejus distincte conscii simus. – Sic scio me nunc scribere de gradibus Persvasionis. Sic scio me scripsisse de natura cognitionis humanae [humanae]{}. Sic scio triangulum habere tres angulos & tria latera. Sic scio Isoscelem habere angulos ad basin aequales, quia attendens animum ad ejusmodi triangulum, in ipso determinatum reperio, hos angulos non posse non esse aequales. Sic scio Solem hodie non adhuc ortum esse, cum, mox e tenebris noctis egressus, & totum caeli spatium contemplans, solem non esse supra Horizontem video{.} Sic scio etiam lapidem, quem manu teneo suspensum, lapsurum esse ad terram, si eum e manu dimittam, quia gravitatem ejus percipio, & video nullum adesse impedimentum, quin ad terram usque ruat; & sic in caeteris [ceteris].

Opinor autem rem <s>ese ita aut aliter habere, cum non cuncta, quae ad illud efficiendum necessaria sint, perspecta, aut mente percepta habeam, sed certas tantum partes, sive notas, quae rem probabilem, non certam, reddere valeant. – Mecum scilicet in animo volvens ea, quae de re quadam scio, & perspicuens ea non sufficere ad efficiendum illud, de quo quaestio orta sit, quia ad-

*) Sit venia his vocibus germanicis, quas adponere volui, illustrationis causa; quia de hoc argumento novissimis temporibus differentes Philosophi, lingua Germaniae maxime sunt usi.

-5-

huc quaedam partes nexus aut rei, incognitae mihi restent, Opinor, non scio, rem illam sese ita habere, ut causae cognitae indicare videantur. – Sic opinor fratrem meum cras ad me venturum, quia id mihi pollicitus sit, & fidem ejus cognitam habeam, nec sit mihi notum aliquid adesse, quod eum a proposito avertat: tamen id non scio, quoniam nihilominus fieri potest, ut ille crastina luce, morbo laborans, ad me adire nequeat; & sic porro. Sic opinor, liberos meos fore bonos & pios, cum sciam me omne studium & laborem in eo collocaturum, ut eos tales efficiam; de hac re tamen certus esse non possum, quia omnia, quae accidere poterint, non perspicio, sed contra scio multa esse, quae, in hac magna rerum varietate & vicissitudine, hoc bonum consilium prorsus in nihilum redigere queant. Sic opinor, reveniens ruri, librum quendam in armario meo adhuc esse, quia scio me abeuntem, istum ibi reliquisse, & clavem conclavis & armarii mecum portare; attamen id non scio, quia rem ipsam cunctam non perspicio, & scio, exempli gratia, furem quendam, per fenestram aut januam vi percussam, potuisse conclave introire, & librum mihi absenti auferre: & sic opinor tantum omnia ea, quarum causas considerans, eas a me non plane perspectas esse mihi sim conscius.

Crede vero dicor, cum rem pro vera habeo, & tamen causas, cur vera sit illas res, non considero, nec earum conscius sum{.} Ut omnes causas veri perspicuens, scio; ita nullas utique causas animadvertens, credo: & si id, quo credimus hoc vel illud esse, Fides appellatur, Fides certe caret omni fundamento rationali. Hinc sequitur; ut et ille, qui sciat, & ille, qui solummodo credat, aequè prorsus certi sint de veritate ejus, quod pro vero habeant: ille nempe, quia rem ipsam distincte cognoscat, atque sic de natura ejus & ratione certus esse

-6-

possit: hic vero, quia causas haudquaquam spectet, & propterea de veritate Judicii sui nulla ratione dubitare intelligat [intellegat]. Nam, quod inter omnes constat, nemo simul credere & dubitare, nec scire et dubitare potest: & minima quaecunque dubii particula satis est ad eruendam & fidem, & scientiam: & ad efficiendum, ut in opinionem permutetur fiducia. Eo igitur ipso momento, quo aliquis animum vel tantulum ad sese verterit, ut sibi conscius fiat, se non perfecte & distincte perspicere causas & fundamenta, quibus veritas eorum, quae vera esse crediderit, nitatur & sustineatur, fides illa omnis, uno quasi ictu letifero percussa, corrumpatur & evanescat necesse est: & mens, ad

altiore culturae gradum tendens, inter dubia & opiniones, quae semper simul, quamquam dissimili auctoritate, in mente sunt, ad cognitionem certis fundamentis innixam, sive Scientiam sibi comparandam, progreditur.

--

Philosophos hujus aetatis longe aliud de hac re docuisse, non latet{.} Evolvat e. gr. Lector benevolus in *Encyclopädisches Wörterbuch der kritischen Philosophie*, von MELLIN, Articulum *Fürwahrhalten*: ubi legat sequentia: "Die subjective Gültigkeit des Urtheils, in Beziehung auf die Ueberzeugung, welche zugleich objectiv gilt. Das Fürwahrhalten ist eine Begebenheit in unserm Verstande, die auf objectiven Gründen beruhen mag, aber auch subjective Ursachen im Gemüthe dessen, der da urtheilt, erfordert. Es hat drei Stufen: a) das Meinen; ein Fürwahrhalten, von dem ich mir bewusst bin, das es sowohl subjectiv als objectiv unzureichend ist; b) das Glauben; ein Fürwahrhalten, von dem ich wir [mir] bewusst bin, das es subjectiv zureichend, aber für objectiv unzureichend gehalten wird; c) das Wis-

-7-

sen; ein Fürwahrhalten, von dem ich mir bewusst bin, dass es sowohl subjectiv als objectiv zureichend ist &c{.} – Aut si propius ei adsunt *Uplysningar öfver Herr Professor KANTS Kritik af rena Förnuftet, utgifne af JOH. SCHULTZ* (Öfvers. Lund 1799); videat pag. 181, ubi legantur haec: *Allt Jakande [Fürwahrhalten] har tre grader: mena, tro eller veta. Mena är ett Jakande, hvartill såväl de subjektiva, som de objektiva grunderna äro otillräckliga. Tro är ett Jakande, hvartill väl de objektiva grunderna äro otillräckliga, men likväl de subjektiva tillräckliga. Veta kallas ändteligen ett Jakande, hvartill så väl de objektiva som subjektiva grunderna äro tillräckliga. Et paulo post: Blott i praktiskt afseende kan det theoretiska otillräckliga Jakandet kallas tro, nämligen när man håller något för sant, för vissa afsigter skull. Et ulterius infra, pag. 183, postquam Auctor, ad mentem Cel. Kantii, demonstraverat, nulla omnino existere fundamenta speculativa sive theoretica, quibus possimus superstruere Doctrinam de Deo, ejusque Exsistentia & natura, &c. haec adposita inveniuntur: *Alltså måste jag nödvändigt tro en Gud och ett tillkommande lif, och jag är säker att ingen kan göra mig vankelmodig i denna tro. Ty eljest vore mina moraliska grundsatser aldeles om intet. Men dessa kan jag icke göra till intet, utan att blifva i mina egna ögon föraktlig. &c. Ergo (ut conclusionis vis clarius eluceat!): quia Ego nolo esse mihi contemnendus, existit Deus: idque credo, quamquam scio me id non posse unquam scire, nec ex fixis & certis cognoscere! - - Et, ne ex longinquo res petatur, in *Lärobok i Logiken af KIESEWETTER*. (Öfvers. Åbo 1806 pag. 102) occurrunt, praeter caetera [cetera], haec: *Tro, utan alla förnuftiga grunder är en bondtro, en blind tro. De subjektiva grunder, hvaraf försanthållandet bestämmes, äro afsigter, syftemål, intresse, känslor, m. m.***

-8-

Quae omnia allata, in theses igitur sequentes sese facile resolvunt.

a) Persvasio, qua aliquid pro vero habemus, tres habet gradus: quorum primus & infimus est *opinari*: alter & medius, *credere*: tertius & supremus, *scire*.

b) Et in opinando, & credendo, & sciendo, caussarum, ob quas aliquid pro vero habemus, aut sint objectivae aut subjectivae, nobis conscii sumus.

c) Caussae subjectivae, quibus Fides nitatur, sunt ejusmodi, ut consilium, propositum, utilitas, sensus, &c.

d) Credere possumus aut ex caussis rationalibus, cum fides philosophica est; aut ex caussis non rationalibus, cum caeca fides appellatur.

e) Credere possumus, quamquam nobis conscii sumus, caussas Fidei esse mere subjectivas, & nos de re ipsa, utrum sit, an minus, nihil omnino scire posse: & sic porro.

Contra quas positiones ego sequentia afferam, quae Lector benigno inspiciat oculo.

a) *Negare utique audeo, nos in credendo, si etiam ex caussis istiusmodi subjectivis pendeat Fides nostra, harum caussarum nobis conscios esse.* Nam quis est, qui non concedat mihi, neminem, cui sana mens sit, credere posse, id, quod optet, & quod ei sit opus, fieri, eam tantum ob caussam, quod id optet aut eo opus habeat, cum tamen sibi conscius sit, se nihil de eadem re cognitum habere? Num ille esset sanus, qui in medio silvae vastae &

-9-

incultae jacens, & esuriens sensit sibi opus esse cibo, crederet se ibi cibum optatum adepturum, cum simul sciat se nullo alio fundamento fidem suam superimponere, quam suo desiderio? Num ille sanus dicendus, qui, in scapha parva navigans per mare ingens, credat se, tempestate exorta, portum securum at<t>ingere, sciens nempe nullam aliam ejus fidei adesse caussam, quam quod alias de vita sua esset desperandum? - - Praeterea, cum ad caussas fidei animum adverto, earumque firmitatem considero, si veram rei naturam & relationes, aut caussas sufficientes perspicio, manet persvasio mea firma & inconcussa, quia *scio* rem se ita habere; sed si intelligo [intellego] me rem non scire, nec ad certam ejus notitiam posse pervenire, dubia ingrediuntur mentem, quorum vel minima scintilla omnem fidem funditus evertere valet: nam is, qui dubitat, certe non credit. Supputantes enim caussas & criteria veri, aut illa firma videmus, & tunc rem scimus; aut minus firma invenimus, & tunc non credimus, sed ex firmioribus opinamur. Nam cogitans, utrum sit aut fiat aliquid optatum, an non, caussas cur sit & non sit, cur fieret & non fieret apud animum perpendo & attente considero: quo efficitur, ut id, quod mihi videtur firmiores habere caussas, esse aut fieri opiner: utrum id optem an detester, nihil ad rem facit.

Probe est autem observandum, me nequaquam negare, homines multa, caussis subjectivis impellentibus, credere: sed tantum nego, illos harum caussarum, ut caussarum fidei, sibi conscios esse. Nam motus animi, ut cupiditas, ut timor, ut amicitia, &c. animum avertere

possunt a rebus atque causis veris considerandis, ad res & causas mere imaginarias & levissimas; ubi animus, causarum verarum non conscius, credit hoc vel illud optato esse aut fieri, ut jam dudum a multis notatum est;

-10-

sed hoc longe aliud. Nam in ejusmodi casu, ut in omnibus & semper, credimus, non scilicet ob causas subjectivas, quae animo perceptae fidem facere valeant; sed ob id solummodo, quod causarum conscii non sumus, nec de earum pretio & vi cogitamus.

Nec negem homines posse vera credere. Multa enim sunt vera, quae sola fide amplectuntur homines: ut faciunt vulgo in rebus religionem spectantibus. Hic vero non agitur de veritate fidei, sed de conscientia causarum, quibus fides innitatur. Nullus nimirum sanus infitias ire potest, vulgus causarum, cur hoc vel illud, quamquam etiam verissimum, credat, sibi non esse conscius: nec illud cum de causis quaerere coeperit, in dubia & opiniones a fide firma abire{.} Aut si concedatur causam adesse, illa certe non est subjectiva, sed foris desumpta, ut ex auctoritate docentis. Quare etiam Pythagoreorum $\text{C}\text{u}\text{t}\text{o}\text{j}^{\text{TM}}\text{fa}$ (ipse dixit) in proverbium abiit (*). Quare etiam

b) *Causas sive argumenta subjectiva fidem alicui facere posse, nego{.}* Nam nemo sanus tam insanus esse potest, ut id, quod sciat esse incertum, pro certo habeat, nec ab una re ad alteram longe diversam, si illas esse diversas videat, conclusionem valere sinat [finat?]. - - Deum esse aut scio, aut opinor, aut credo: sed semper ex causis objectivis. Scio Deum esse, cum in natura rerum causas reperio, quae efficere valent, ut existentiam Numinis summi distincte & certe percipiam. Opinor vero Deum esse, cum considerans argumenta, quibus doctrina de Deo nititur, video pleraque eorum quidem indicare Deum esse,

*) Cel. WOLFII eadem fere fuit sententia (vid. Log. §. 611). *Credere dicimur, inquit, illam propositionem, cui assensum praebemus, propter auctoritatem dicentis.*

-11-

attamen me rem non ita clare perspicere, ut omnis formido oppositi necessario absit. Credo tandem Deum esse, cum id pro vero habeo, quia de causis, cur dicta paterna vera sint, mihi nullum oboritur dubium; aut quia argumenta, quae, ex contemplatione rerum naturae, hauserim, ad rem probandam sufficientia mihi videntur. - - - Nempe in quolibet persuasionis gradu argumenta ex objectis collecta adsunt, aut omnino nulla. Ex meris Subjectivis nulla Fides gignitur. - - - Unde autem sequitur.

c) *Omnem Persuasionem esse eatenus Fidem caecam, quatenus credit, & rationalem tantum quatenus a scientia pendeat & argumentis objectivis suffulciatur.* Omnes enim causae persuasionis rationales sunt objectivae, ut jam est monitum; & ex causis rationalibus non *credimus*, sed aut *opinamur*, si illas esse ad rem probandam insufficientes intelligitur [intellegitur], aut *scimus*, si sufficientes, i. e. plane perspectae sunt. Si vero contigerit, eas revera non esse sufficientes, quamquam eas pro sufficientibus

habeamus, tum partim scimus, partim credimus; scimus enim causas illas cognitatas; & credimus rem, quatenus causarum insufficientiae non sumus nobis conscii. – Quamobrem etiam

d) Contendere audeo, *Credere* esse infimum Fidei gradum: *Opinari* vero medium: & *Scire* supremum.

Tota igitur de gradibus Persvasionis doctrina, quae in scriptis Philosophorum criticorum, tam frequens occurrit, tantique est momenti, ut vix ulla pars majoris, fundamento stabili & fixo vacat: &, si alias firmioribus nitantur mea dicta, utique est rejicienda. Judicet vero oculatior quid de illis habendum. Mihi quidem id, quod exponere mihi in animo fuit, tam verum & perspectum videtur, ut non possim, quin existimem me id scire, non credere; sed omnino certum est, me id non opinari, quoniam nullam circa hanc materiam dubium mihi adhuc in mente haeret.

-12-

Hartman / Frosterus 1808 – De tribus gradibus persvasionis (*des Fürwahrhaltens*): credere, opinari, scire.

”Vakuuttuneisuuden (Fürwahrhalten) kolmesta asteesta: uskomisesta, luulemisesta, tietämisestä”

Avainsanat: vakuuttuneisuus, tietäminen, tieto, usko, luulo, korrespondenssiteoria, totuus, logiikka

Väitös tutkii kriittisesti totuuden korrespondenssiteoriaan ja Wolfin ajatuksiin logiikasta perustuvaa käsitystä vakuuttuneisuuden asteista. Vakuuttuneisuus on sitä, että mieli pitää käsitystään totena; tämä ei kuitenkaan vielä takaa käsityksen totuutta, vaan kyseessä voi olla joko usko, luulo (tai mielipide) tai tieto.

”About the three grades of persuasion (Fürwahrhalten): believing, supposing, and knowing”

Keywords: conviction, knowledge, belief, supposition, assumption, correspondence, truth, logic

The dissertation critically examines the notion of degrees of persuasion, which is based on the correspondence theory of truth as well as on Wolf’s thoughts about logic. Persuasion means that a mind regards its judgment as a truth; this, however, doesn’t make the judgment true; instead, it can be a belief, a supposition (or an opinion), or knowledge.

”Om försanhållandets (Fürwahrhalten) tre grader: tro, antagande, vetande”

Nyckelord: övertygelse, vetskap, kunskap, tro, antagande, korresponstensteori, sanning, logik

Dissertationen granskar kritiskt uppfattningen om olika grader av övertygelse, som grundar sig på korrespondensteorin för sanning och Wolfs idéer om logik. Övertygelse är att sinnet håller ett omdöme för sant. Detta garanterar dock inte ännu att omdömet verkligen är riktigt, utan det kan vara frågan om antingen en trosövertygelse, ett antagande (eller en åsikt) eller vetande.